

# Geschichte des Stadtgymnasiums.

Drittes Stück.

Von

Michaelis 1826 bis dahin 1827.

~~~~~

Womit zu

der öffentlichen Prüfung  
aller Classen

am 5ten October Nachmittags von 2 Uhr an

und

am 6ten October Vormittags von 8 Uhr und Nachmittags von 2 Uhr an

ergebenst einladet

der

Director *Struve*.

---

*Vorausgeschickt ist eine Abhandlung des Oberlehrers, Professors Dr. Ellendt:  
De tragicis Graecis inprimis Euripide ex ipsorum aetate et temporibus iudi-  
candis aequaliumque iudiciis commentatio.*

---

Königsberg,

1827.



Geschichte des Städtischen Gymnasiums



Im Jahre 1820...

der öffentlichen...

an dem hiesigen...

Director...

Halleberg

1820

## De tragicis Graecis

inprimis

# Euripide

ex ipsorum aetate et temporibus iudicandis aequaliumque iudiciis

## commentatio.

---

Si de tragicis Graecis, inprimis Euripide, ex ipsorum aetate et temporibus iudicandis, aequaliumque iudiciis instituo scribere, non puto fore quemquam, cui aliquid novi aut magni protulisse videar. Imo, si quis rem tot hominum doctorum studiis tractatam quidem, sed ne in ipsis quidem initiis satis patentem in Eruditorum usum ita suscipit aperire, ut vel exhauriendae rei sint, quae tradat, vel saltem aliquid rotundi habeant et quod perfectionis absolutaeque speciei imaginem referat: huic et otio maiore, et uberiore doctrina, et exquisitoribus literarum subsidiis opus est. Cum vero non sit, cur doctrinam meam iactem, nec satis instructus sim suppellectile literaria, neque exiguo, quod suppetit, otio ita uti debeam, ut relictis quaestionibus. in quibus totus sum, res a consilio meo praecipuo alienissimas tractare ordiar: non gloriabor me egregii quidquam, et quod arti nostrae lucem novam afferat, exhibiturum. Nam nihil aliud egi, nisi ut, quae saepius eandem rem percogitanti venerant in mentem, exposita nonnullis veterum auctorum testimoniis communirem. Neque libellum tam exigui fructus in lucem publicam emittère quaesivissem, neque elaborassem, ut tam le-

via in aliorum notitiam pervenirent. Forte factum hoc, vel, si non forte, nulla saltem mea voluntate. Constitutum est enim, tum lege, tum usu, ut quae de statu gymnasiorum regni Prussiae quotannis edi solent ab iis qui regendorum illorum curam habent, opusculis brevis quaedam praemittatur disputatio, aut de parte aliqua literarum humaniorum, aut de loco ad disciplinam vel docendi vel mores regendi pertinente. Cuius prolusionis in nostro gymnasio scribendi munus ad me recusantem et invitum delatum est, nec, spero, deferetur iterum. Sed haec ipsa mea, si quid leve protulisse visus fuero, excusatio esto. Nam cum, quod non lubentissime suscipimus, non omni certe cura et studio exsequendum iudicemus, tum ego plane aliis rebus exquirendis deditus et negotiorum mole, quanta nunquam ante praepeditus, ne nimis avocarer a rebus diligentissime tractandis, scribendae prolusionis tempus aestivas, quibus ruri soleo degere, ferias delegeram. Inde etiamsi omnibus literarum subsidiis instructus essem, quod non est ita, tamen fieri non potuisset, ut omnes, quibus opus esset, libros mecum ex urbe deportarem; et ruris amoenitates, quibus magnopere delector, otiantique et genio indulgendi licentia, qua, quo rarius conceditur, eo suavius mulcemur, quantum efficere possemus, ut vellemus etiam, non permisit. Neque videbatur necesse esse, in prolusione scholastica ingentem doctrinae molem includi, vel summi ingenii documenta dari. Quare, si quis talia quaerit, apud nos ad coenam ne veniat, lautiores ditiorum hominum mensas consecetur.

Haec, quia sic fieri oportere videbatur, praefati, iam ad argumentum pergamus ipsum.

Scenicam poesin, siquidem in ponendo tragoediae comoediaeque vocabulo nostrum sensum sequimur, Atheniensium inventum fuisse, satis constat. Nam fabulas deorum heroumque historiam continentes lyrico carmine, lyra tibiisque accinentibus festorum dierum opportunitate tractare, et rursus ridiculis et hominibus et moribus notandis vitae quotidianae imaginem quandam extemporali spiritu natam ponere, inprimis Graecis Doriensibus, et tragoediae quidem initia Sicyoniis, comoediae Siciliensibus deberi concedimus. Sed quomodo factum sit, ut inter Graecos omnis humanitatis magistros fausto quodam casu Athenienses potissimum rem scenicam ita ornarint et expolierint, ut vel hodiernis hominibus tot seculorum experientia edoctis primi inventores magistrorum instar possint esse, id et difficile dictu est, neque huius loci et consilii. Redimus ad illud, quod certissimum est, primos Athenienses instituisse, ut rerum heroicarum

descriptionem epico carmine audientibus tradi solitam, e narratione quasi ad vitam excitarent, reque in scena gerenda quasi commotam non auditoris modo sed etiam spectaturis exhiberent. Cuius artis paene incredibilis fundamenta cum posita essent, felicissimi ingenii homines exorti sunt, quorum opera per brevi tempore ita expolita est, ut huius quidem poesis vix alii fuerint auctores eo nomine digni. Inde tum rei natura iubente, tum ob exemplorum splendorem factum est, ut, quemadmodum epica poesis Homerum secuta eiusdem etiam sermone uteretur, Lyrici magis Aeolensium Doriensiumque loquendi rationem prae se ferrent, ita actiosa et pressa tragoedia Atticam dialectum, Graecarum subtilissimam et acutissimam observaret. Quid mirum igitur, si in illo nativo artis scenicae solo non modo auctores inimitabili suavitate operum, sed etiam iudices fuisse reperimus? Certe, etsi concedendum est, ex plebis dominatu vix ullis finibus circumscripto, qualis erat Athenis, innumera quasi ex fonte mala repetenda esse: patrii moris in eo peregrinorum et advenarum confluxu aspersionem et contemptum, ineptissimas cum summa impietate superstitiones, perversissimam publici consilii rationem, denique omnia ad pessumdandam rempublicam comparata: illud certe vix negabitur, fieri nisi illa omnis iuris et potestatis aequabilitate non potuisse, ut omnes populi ordines, non pauci quidam, ut nunc est, cultiorum et humaniorum nomine appellati, iudicandi subtilitate, existimandi elegantia, vitae et artis quadam perita cognitione excellerent. Quippe cives unice ad vitam publicam civitatemque intenti, eiusque usu penitus imbuti, perpetua exercitatione et auditione id adepti sunt, ut de rebus difficilimis suffragia ferrent optime. Neque unquam, credo, redibit illud tempus, quo tam mirifica omnium artium opera et proferentur et iudicabuntur, nullis studiorum subsidiis adhibitis, nisi usu fori ludorumque et vitae quotidianae commerciis; neque sermone ullo adscito, nisi patrio, neque cognitione et peritia, nisi quae per se cum vita hominum arctissime esset colligata.

Ad hanc populi Attici disciplinam haud sane exiguam partem scenica poesis conferebat, quippe quae non esset ad otiosos delectandos comparata, sed festae religionis comes et ad deorum venerationem et ius fasque commendandum instituta. Inde factum est, ut Athenienses ferme omnes peritissimi artis scenicae existimatores evaderent, ipso suo nativo insitoque venusti sensu cultissimis aliarum gentium hominibus aequandi. Quam ob rem haud iniuria Aristophanes in facetissima Ranarum fabula de Aeschylis et Euripidis ob artem tragicam certamine haec dicentes facit Xanthiam et Aeacum (v. 805.)

Ξ. κρινεῖ δὲ δὴ τίς ταῦτα;

Α. τοῦτ' ἦν δύσκολον

σοφῶν γὰρ ἀνδρῶν ἀπορίαν εὐρισκίτην.

οὔτε γὰρ Ἀθηναίοις ζυνέβαιεν Αἰσχύλος —

Ξ. πολλοὺς ἴσως ἐνόμιζε τοὺς τοιχωρέχους.

Α. λίγρον δὲ τᾶλλ' ἠγεῖτο, τοῦ γιῶνας πέρι

Φύσεις ποιητῶν.

Multa certe scriptorum veterum testimonia facile colligi possunt, omnia praecipuum artis iudicandae acumen Atheniensibus concedentia.

At vero scenica poesis ex intimo populi sensu et animo orta id etiam agebat, ut mentem et instituta civitatis moresque civium per imaginem et veritatis quaedam simulacra proderet, et sentiendi faciendique rationem, existimandi iudicandique modum, qui quaque valeret aetate, satis manifesto ostenderet. In hoc igitur tragoediae instituto et consilio inprimis quaerenda est insignis illius discriminis causa, inter trium principum tragicorum opera intercedentis. Etsi forte in Euripide potissimum plura cum vituperatione animadvertimus, in quibus a prioribus artis auctoribus defecit, iudicium de eo ferendum non ab illorum comparatione sola pendet, neque hanc unam quasi iudicandi normam et mensuram habebimus. Nullus enim unquam poeta fuit, qui totus a suae aetatis consuetudine alienus esset: neque debuit esse, nisi nebularum quasdam et nubium species venari, non rerum formas et imaginem ponere voluit. Quod si Euripides, ut fecit, in multis deliquit, cum aetate sua ipse quoque lapsus est, ut si non excusare peccata liceat, causae tamen eorum et origines aperiri et illustrari possint. Quod ut magis pateat, priorum tragicorum et artem et aetatem contemplari opus est.

Aeschyli igitur tempora aetatem Graeciae, si ita dicere licet, in ipsa historia heroicam referunt. Ipsa autem illa rerum bellis Persicis gestarum magnitudo colligata est cum legum et morum antiquissimarum reverentia et sanctitate, virorum ceteris praeefulgentium laudibus, civitate neque ob artificiosam quandam et operosam eruditionem, neque luxu et taedio a vita vetere et sensu alienata. Quidquid qui tunc erant Athenienses magnum et egregium senserant fecerantque in Aeschyli carminibus tanquam in speculo repetitum reperitur. Sed Aeschylus ipse, legitimus tragoediae auctor, spectatores, si Aristophanem sequimur (Ran. 910.)

*μωρὸς λαβὼν παρὰ Φρυγῶν τραφέντας*

in quo versu cum irrisione verum aliquid inest, neque artem ab omni parte potuit expolire, neque semper id egit, ut in fingendo verisimilitudinem sequeretur; quippe indomita ingenii magnitudine nonnunquam ultra id, quod deceret, abreptus. Unde factum est illud, ut in eius carminibus nihil quidem non magnum, pleraque sublimia, multa adeo tremenda gravitate exstarent, raro autem quidquam molliores animi sensus tangere, quaedam etiam humanam naturam excedere viderentur. Repetendum vero est, omnes Aeschyli, quae quidem nunc exstant, fabulas a triumphis de Persarum exercitibus actis lucem quandam accipere, neque ullam esse, in qua non certa quaedam sententia, illorum temporum index et nuntia, tanquam telae pertexendae stamen insit et initium. Persis quidem fabula illud continetur, non posse fieri, ut vera libertas occidat unquam. Prometheus ostenditur animi indefessam magnitudinem vi omni maiorem, iniustam autem potentissimi cuiusque dominationem fati poenam evasuram non esse. Religionis officia quam sancta sint et quantam in civitate necessitatem habeant, Supplicibus exponitur. Culpam denique impietate contractam novi semper sceleris feracem esse, neque posse expiari nisi divina clementia intercedente, quae vim facinoris procuret, Orestiae videtur argumentum esse. In ipsa vero Orestia praecipuum sibi Eumenides momentum vindicant. Gravissime enim poeta suadet et inculcat, ne quis reipublicae Atheniensium instituta veterina, religionis et civitatis statum arcte copulata et propter dignitatem suam aeternitati commendata, pravo conatu subvertere audeat: legem enim, iuris originem et barbarae ultionis tollendae auctorem omnibus illis institutis quasi fundamentum subesse, et praecipue Areopagum genuisse, quod iudicium cum magis Deorum videatur quam hominum, a temeraria impiorum manu praesente ipsius numinis vindicta defendi. Ita mens poetae pia religione plenissima et initiis illis, quae tunc et augustiora videri et iam fortasse aliquid reconditoris doctrinae continere coeperant, imbuta ius patrium, morem publicum, leges civitatis altiore quodam divinae originis splendore commendat. Non est igitur sine omine, quod Aeschylus apud Aristophanem (Ran. 886.) certamen cum Euripide initurus haec precatur:

*Δήμητερ, ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν Φρένα,  
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.*

Hunc consecutus Sophocles est. Is divino ingenii spiritu non minor videtur Aeschylō fuisse. Sed addidit ad illas naturae dotes purissimam existi-

mandi elegantiam et quidquid lauti et ornati Periclea genuerat aetas; uti tum indole, tum aetate, tum studiis magni viri, quem consequebatur, vitia facilius declinaret. Igitur in omnibus fabulis, et in ipsis deperditarum reliquiis eam ostendit animi generositatem, eam sensus puritatem, eam rerum divinarum humanarumque et nostri generis contemplandi sublimitatem, qua poetarum veterum omnium ad eos, qui Christianam religionem profitentur, proxime accedit. Patriam, cuius pulcherrimum florem ipse aequalis viderat, summo amore amplexus, in eius rebus gestis, honore, gloria, magnitudine fere totus erat. Qua sentiendi gravitate et magnificentia prohibitus est, quominus ad communis et quotidianae vitae turpitudinem descenderet, quamquam non ignarus erat, rempublicam Atheniensium summo laudis fastigio superato, iam in peius labi. Itaque solo' artis nobilitandae studio ductus ab illo errore, quantum scimus, immunis et intactus mansit, ut inventis splendidis sed parum veris aures auditorium caperet et in animos eorum malo artificio sese insinuaret. Patriae amantissimum poetam libenter quidem et splendide laudibus civitatis suae celebrandis operam dare consentaneum est. Sed nunquam aequalibus et spectatoribus adulando plausum assequi, neque amoribus eorum et deliciis blandiendo placere maluit. Quanquam iam Aeschylus Eumenidibus, fabula ceteroqui maximi animi teste et generosi consilii, oratoriarum artium ex iudiciis depromptarum specimen exhibitum erat, quod quin placeret spectatoribus iisdemque iudicibus fieri non potuit. Porro ut Sophocles ipse teste Aristophane (Ran. 82.)

*εὐκόλος μὲν ἐνθάδ', εὐκόλος δ' ἐκεῖ*

suavis igitur et humanitate plenus dicitur, ita eius carmina gratiis quibusdam lenibus et hilaribus referta sunt. Religionis apud eum non tremenda vis est et horribilis, sed curandis et conciliandis animis intenta. Cum enim apud Aeschylum terribili cultu Eumenides sceleris vindices et facinorum ultrices in theatro apparuissent ipsae, Oedipus Sophoclis, fessus laboribus, in earum Iuoco apud Colonus vitae aerumnis liberatur. Aeschylus enim et Sophocles spectatores cultu longe diversissimos habebant. Ille enim civitatem intuetur, vi religionum, nobilium auctoritate, peritorum senum prudentia regi solitam: hic elegantium iudicum consessum, recti venustique amantissimum, sed veteris moris non sane tenacem. Terrores igitur et horribilis apparatus a scena exulari iussi sunt: quippe spectantes offensuri; quaeque Aeschylus percussis, ea Sophocles commotis auditorum animis consecutus est. Nec minus in ipsis personarum moribus adumbratis elucet politissimae aetatis spectatorumque cultus elegantior. Inpri-

mis feminarum, teneri sensus plenissimarum, descriptio Sophoclis fabulis dulce quiddam instillat et suaviter deliniens, quod apud Aeschylum frustra quaeras. Hoc enim arcem poëticae tenente morum popularium gravitas non videbatur concedere, sed potius aperte vetabat, ne mulieres regiarum gentium fatibus immiscerentur: apud Sophoclem hoc non modo decorum sed fere necessarium ducitur. Quamquam enim quem nostro sensu amorem vocamus, neque apud Sophoclem, neque apud ullum inter Veteres poetam suis coloribus adumbrari cernimus, tamen cum Deianira et Tecmessa teneurimum erga coniugem et liberos sensum prae se ferant, in Antigona etiam amantium ferme is animus est, eaque rationes intercedunt, quales solent apud populos sociali vinculo cultiores redditos. Viros autem praecipuos, Theseum, Haemonem, Neoptolemum sensus quidam generosior nobilitat, non minus alienus a superba virium fiducia, quam ab avaro commodi sui quaerendi studio. Quae cum sint, ut sunt, laudis plenissima, infitari tamen non possumus, Sophoclis fabulas eam aetatem prodere, qua veterum legum tum publicarum tum sacrarum reverentia evanescere coeperit. Nam cum saepe libertatem in licentiam degenerare, potentiae et opum abusum fieri, ius vi infringi significatum reperiamus, si aliunde non constaret, facili coniectura assequeremur, poetae florem in splendidissima reipublicae Atheniensium tempora incidere, quae cum a ruina non multum abessent, et popularis vita et ipsa poësis corrumpi et in peius labi coepit. Deinde etsi eae fabulae, quae res Troicas spectant, ad militarem illius belli necessitatem accommodatae sunt, quod in Aiace et Philocteta cernitur: in reliquis tamen neque religionis vim ad rempublicam satis valentem, neque regiam potestatem Homericæ aetatis more nobilium auctoritate intercedente temperatam videmus. Ita Theseus in Oedipo Coloneo magis *ἀρχοντα* quendam populari suffragio creatum quam regem, Creon autem et in illa fabula et in Antigona, imo etiam Oedipus in cognomine fabula tyranni nullis legibus coerciti speciem prae se ferunt. Huius rei causa in aetate Sophoclis quaerenda: qua post Clisthenis leges et religionis vis minui et bellis Persicis finitis vetera reipublicae instituta infirmari plebe ad summos honores admissa, infractisque Areopagi et nobilium opibus ferme tota obsolescere coeperant. Multum tamen Sophocles abfuit a verbosa Euripidis loquacitate, vanis Atheniensium civium suorum animis placitura, quae etiam pessimam reipublicae conformationem inani laude commendat. Qualia sunt, quae in Supplicibus (v. 350. sqq. 403. qq.) de instituto a Theseo populari imperio, in Ione (v. 595 inprimis v. 675.) de indigenarum hominum legiti-

morumque filiorum iuribus et commodis disputantur: deinde quae innumeris fere locis contra Spartanorum, quibuscum tunc bellum gerebatur, fraudibus et iniustitia dicta sunt.

De quibus adhuc egimus poetae, etsi inter se diversi fuerunt, aliquid tamen communis formae impressum tueri videbantur. Sed tragicorum tertius Euripides longe multumque ab illorum similitudine abfuit. Jam enim genus <sup>1)</sup> parum honestum et inde pendens prima institutio multam ad id efficiendum contulit. Primis annis fortasse neglectus a suis, mox cupidam aurem philosophis rerum naturam scrutantibus et sophistis eloquendi artem profitentibus praeuisse credendus est: neque nolens multa ex utrorumque doctrina etiam in fabulis suis retinuit <sup>2)</sup>: imo, quamquam a sophistarum moribus sese abhorreere saepius testatus est, tamen innumerae dicendi fallaciae penitus haeserant. Omnino a labe aetatis non tam immuni manere Euripidi licuit, quam qui ante eum in arte elaboraverant. Non enim, ut Sophocles, aetatem illam ruina publicae quasi nunciam iam erudito et perpolitio ingenio intravit, sed in eadem ipsa et eius vi et ope cultum suum et eruditionem reperit. Hoc est illud tempus, quo cum Pericles solus, remotis adversariis et successis reipublicae fundamentis, civitatis gubernacula tenebat, effusa libido plebis socios Atheniensium vexare, optimatibus periculum minari solebat; mos et publicus et privatus, decoris et honestatis custos evanescere coeperat: populus, maritimum imperium assecutus, redditus est iners, violentus, libidini et oblectationibus deditissimus; magnoque pecuniae pondere quotannis Athenas conflente cum luxu avaritia et largitio creverat, qua sola etiam multi civium victum quaerere consueverant. Hoc tempore, rerum novarum tam ferace, veterum non admodum retinente prisca gravitas Atheniensium, origine sua, nullis alienigenis admixtis, superbientium tur-

---

<sup>1)</sup> Euripides  $\delta$  τῆς λυχνωπολητίας tam multis locis ab Aristophane vexatur, ut res sit vulgo notissima.

<sup>2)</sup> De Euripide Anaxagorae auditore multa contulit praestantissimus Valckenarius Diatrib. Eurip. cap. IV. p. 27. ed. Lips. et de eius sententiis ab Anaxagora desumptis c. V. p. 37. sqq. et VI. p. 48. Si vulgarem de Socrate famam, qualem in Nubibus tractat Aristophanes, respicimus, verisimile videbitur, inde rumorem manasse, Euripidem a Socrate item Anaxagorae auditore in tragoediis faciendis adiuvari. Testes sunt Mnesilochus ap. Diog. Laert. II. 18. et Aristophanes prima Nubium recensione, cuius versus duos tractat Valckenar. l. c. cap. II. p. 16.

bulentissimae plebis cessit petulantiae, quae nisi cupidine aut avaritia stimulante vulgo neque ad audiendum neque ad obsequendum parata erat. Hac aetate Euripides in lucem publicam procedens eius indolis sibi conscius, quae plausum aequalium latura esset, scenicam poesin ceteris generibus splendidiora pollicentem factitare maluit. Sed in hac indole cum non esset divino spiritu plenus animi impetus, omnia eius opera magna diligentia quasi facta et elaborata videntur esse, sed felicitatem ingenii, omnia infra se habentis nec aerumnose quaesita opera liberrime in subiectam qualemcunque materiem dominantis non agnoscimus. Ita de Euripide poeta iudicare licebit. Priores artifices superare sese non posse, assequi vix posse intelligebat, sed favorem eorum aequaturum esse et fortasse superaturum sperare licebat. Sed cum in ipsorum ratione sequenda non videret aliquid secundae spei portendi, suorum temporum res et habitum heroicis nominibus inditis effingere coepit; ita quidem, ut genus quoddam sentiendi perversa mollitia pravum personarum moribus adderet. Haec fingendi ratio et ipsius naturae magis conveniebat, et cum eodem tempore auctore Timotheo musica tota immutata esset, ipsa novitate haud alia de causa placuit, nisi quod aetas illa in carmina Euripidea velut in sui moris et usus speculum intuebatur. Nec tamen hoc dicimus, Euripidem dedita opera et consilio in id intento ita fecisse: aetatis habitu et sua indole, ut ita faceret, quasi inscius coactus est. Quae si vera sunt, otiosum est quaerere, num Euripides homines et mores pinxerit, quales sunt, an peiores<sup>3)</sup>. Nam heroes veteris Graeciae tales effinxit, quales aetati suae, pravo sensu veluti fallaci speculo utenti videbantur fuisse; altiore eos specie ornare aut omnino non quaesivit, aut si fecit, inscius fecit. Atque hoc ipsum tale erat, quod facile placeret Atheniensibus: spectabant enim cupide et libenter audiebant priscos viros ferme ad homuncionum tunc viventium modum sentientes et facientes. Sed aliud videtur fuisse peritorum artis existimatorum iudicium. Cuius cognoscendi et alia subsidia sunt, nullum vero testimonium gravius, nullum ornatius et fide dignius, quam quae apud Aristophanem passim reperiuntur, imprimis in Ranis, magnificentissimi sensus fabula; in qua id ipsum consilium Comicus habuit, ut fucatas poesin Euripideae argutias cum veris et incomitis veterum artibus compararet et perversas et damnandas esse osten-

3) Praeivit Aristoteles, sive potius Sophocles ap. Arist. Poet. c. XXVI. Bip. Herm. p. 40. Graefenh. dicens, αὐτὸν μὲν, ὅσους δὲ ποιῆν, Εὐριπίδην δὲ, οἷοί εἰσι, quem locum bene illustravit magnus Lessingius Hamb. Dramaturg. II. 333. cf. Aristot. I. c. c. IV. Bip. p. 5. Graefenh. quo loco Homerus cum Sophocle comparatur, μιμῶνται γὰρ ἅμψα σπουδαίους.

deret. Nam verbo satis est monuisse, ioculari veteris comoediae instituto imaginem animis proponendam varie distorqueri, ita tamen ut eius veritas agnoscatur. Tantum adhuc addam, magnopere videri errare eos, qui Aristophanem internecino quodam Euripidis odio flagrantem nullam occasionem iuste iniusteve carpendi poetae praetermisisse putent. Quid enim? Nonne Aristophanis quae adhuc supersunt fabulae maximi animi, egregii consilii, incomparabilis rerum civilium et artis peritiae plenae sunt? Nonne comicorum priorum ineptias sese primum distarbasse, optimorumque consiliorum auctorem civitatem emendare, pravorumque civium potentiam frangere constituisse, summo iure de se dicere potuit? <sup>4)</sup> An putamus Socrati ipsi iratum Aristophanem fuisse, quod sophistas *μετεωροσκοπούς* eius nomine graviter insectatus est? Nonne in Socratica doctrina, qualem exhibet Xenophon, multa insunt, a rebus Veterum plane aliena, nec ullo iure placitura cuiquam? <sup>5)</sup> Deinde haud sane sine consilio Plato illud in Symposio optimum de Aristophane testimonium dixit, quod hunc cum Socrate et Agathone <sup>6)</sup> inter pocula de arte comica et tragica disputantem facit, Socratemque exponentem, eiusdem esse poetae, tragoediam et comoediam facere: quo dicto acutius aliquid et profundius excogitatum vix ab ullo veterum auctorum unquam traditum est. Quia etiam huius poetae fabulas per totam vitam et paene moriens adhuc lectitasse fertur Plato. Consentaneum igitur esse putamus, talem poetam de arte et sensisse recte, et verum iudicium aequalibus et posteris voluisse relinquere. Tantum autem abest, ut Euripidem solum, odio quodam motus, insectetur, ut, cum bonum poetam fuisse Agathonem testetur <sup>7)</sup>, tamen muliebrem eius cultum irrideat <sup>8)</sup>, in Aeschylo saepe parum aptam verborum magniloquentiam vituperet, et Sophoclem, saepe summis ob artem laudibus prosecutus, tamen propter pecuniae quaerendae aviditatem reprehendat. <sup>9)</sup> Ergo Aristophanes neque simultatem cum Euripide exercuisse neque iniuste de eo iudicasse videtur, quidquid dicat Porsonus. <sup>10)</sup> Cum Aristophane sensisse videntur Atheniensium iudices doctissimi et elegantissimi; ut hac de causa factum videri possit, ut Euripides, quamvis populari favore magnopere gavisus, fabulis fere nonaginta duabus unum de tribus praemiis via quindecies reportasse feratur. <sup>11)</sup> Sed iam singula videamus, et res Euripidis accuratius contemplemur.

<sup>4)</sup> Pac. 752. sqq. Vesp. 1030 sqq.

<sup>5)</sup> Schlosser Gesch. der alten Welt, vol. II. p. 144. seqq.

<sup>6)</sup> Plato Sympos. extr. p. 223. c. Steph. vol. IV. p. 468 Bekker.

<sup>7)</sup> Ran. 83. <sup>8)</sup> Thesmoph. 97 sqq. <sup>9)</sup> Pac. 696. v. Schol. et Dissen. ad. Pind. Isthm. II p. 49f. <sup>10)</sup> Porson. praelect. in Eurip. Adversar. p. 14. Lips. <sup>11)</sup> Porson l. c. p. 5.

Artis ea aetate cum norma et regula posita esset, postquam divinus poesis spiritus facundiae cedere coeperat, mediocria ingenia eo penetrabant, quo summis olim via fuerat ardua et difficilis. Vulgus levia quaedam et perversa scire cum pro eruditione haberet, sensus pravae pro veris, luxuriam pro elegantia, voluptatis et oblectationum aviditatem pro artis amore venditans, omnes in carmine scenico sententias, intimosque animorum motus dialectica arte explicatos, facunde expositos amabat. Cui negotio et indole et studiorum genere Euripides aptissimus erat. Is cum miserabilia gravibus, sophistica artificia naturali sensui substituisset, imprimis eo blanditus est Atheniensibus, subtilitate oratorio et tinnientibus verbis delectari solitis, quod, quales a spectatoribus iisdemque iudicibus de iure decertationes et orationes utrimque habitae quotidie audiebantur, accurate expressit. In Hecuba Polymestor et Hecuba coram Agamemnone iudice verbis depugnant; in Oreste Tyndarei et Orestis ante populum certamen ita enarratur, ut etiam testium mentio fiat; in Hercule furente nulla causa Amphitruo Herculem a Lyci tyranni obtreactionibus longa oratione vindicat; in Phoenissis de imperio decertant Eteocles et Polynices; in Electra Orestes sororem suam hortatur, ut mortuum Aegisthum enumeratione iniuriarum suarum incessat, neque facere potuit Electra, quin glorioso officio copiosa oratione perfungeretur. Praecipuum vero in Helena (v. 945. ed. Matth.) specimen exstat, quam otiose et praeter necessitatem et Euripides et spectatores eiusmodi *θήσεις* quaesiverint. <sup>12)</sup> Imprimis autem indigna severius existimantibus visa sunt lamentabilia eius movendorum animorum artificia, unde et sordibus squalentes et laceris vestibus indutos et caecitate foedatos et claudicatione miserationem moventes induxit. Hoc multis locis risit Aristophanes <sup>13)</sup>;

6. Valckenar. ad Phoen. 1752. Mirus est Elmsleius ad Medeam p. 56. ed. Lips. longe plures Euripidem quam XCII scripsisse fabulas videri dicens, quarum ad minimum XXIII fuerint satyricae, quippe tetralogiis comprehensae. Quasi non dudum iste mos deseri coeptus esset! Deinde modo eas fabulas ait in didascalias relatas esse, quae unum de tribus praemiis reportassent.

<sup>12)</sup> Risit Aristophanes Euripidem, Pac. 534.

*οὐ γὰρ ἤδεται (Pax)*

*αὐτῆ ποιητῆ ἑματιῶν δικανικῶν.*

Qui Euripidis in hac re defensionem ex utilitate oratoria quaerunt, nihil agunt, velut Quintilianus X. 1. 68. Porsonus l. c. p. 14. Cf. Valck. l. c. c. XI. p. 120.; et de abusu eloquentiae c. XXIII. p. 259 sqq.

<sup>13)</sup> Euripides *πρωχοποιός* et *ῥακισυῆραπτάδης* Ran. 842. *ἑκία ἀμπίσχων τοὺς βασιλείοντας* v. 1603. cf. Nub. 921. Adde Pac. 147.:

inprimis vero facetus est locus Acharnensium, (a. v. 400.) quo Dicaeopolis, adversus Acharnenses δημότας suos capitis causam dicturus, Euripidem adit, a quo tragico vestitu accepto miserabilior videatur. Quaerit Euripides:

τὰ ποῖα τρέχη; μῶν ἐν οἷς Οἰνέως ὄδῳ  
ὁ δύσποτος γεραῖος ἤγωνίζετο; <sup>14)</sup>

Δικ. οὐκ Οἰνέως ἦν, ἀλλ' εἶ' ἀθλιωτέρου.

Εὐρ. τὰ τοῦ τυφλοῦ Φοίνικος; <sup>15)</sup>

Δικ. οὐ Φοίνικος, οὐκ·

ἀλλ' ἕτερος ἦν Φοίνικος ἀθλιώτερος.

Εὐρ. ποίας ποδ' ἀνήρ λακίδας αἰεῖται πέπλων;  
ἀλλ' ἢ Φιλοκτήτου τὰ τοῦ πτωχοῦ λέγεις; <sup>16)</sup>

Δικ. οὐκ· ἀλλὰ τούτου πολὺ πολὺ πτωχιστέρου.

Εὐρ. ἀλλ' ἢ τὰ δυσπινῆ θέλεις πεπλωμένα,  
ἢ Βελλεροφόντης εἶχ' ὁ χολὸς οὐτοσί; <sup>17)</sup>

Δικ. οὐ Βελλεροφόντης· ἀλλὰ κλέεινος μὲν ἦν  
χολός, προσαιτῶν, στωμύλος, δεινὸς λέγειν.

Εὐρ. οἷδ' ἄνδρα, Μυσὸν Τηλέφου. <sup>18)</sup>

Δικ. ναί, Τηλέφου,

τούτου δὸς, ἀντιβολῶ σ', ἐμοὶ τὰ σπάργανα.

Εὐρ. (ad servum) ὦ παῖ, δὸς ἀδελφῷ Τηλέφου ἑσπέρια,  
κεῖται δ' ἀνοθεὶ τῶν Θεεστέων ἑσπέρια,  
μεταξὺ τῶν Ἴνοῦς. <sup>19)</sup>

Deinde enumeratur reliqua supellex ad sordes illas pertinens; spongiam poscente Dicaeopolide, quo sudorem et pulverem Telephus abstersisset, Euripides exclamat:

ἄνθρωπ', ἀφαιρήσει με τὴν τραγωδίαν.

Postremo cum postulasset herbulas, mendicorum victum, suis rebus diffidens tanta iactura facta, respondet Euripides

μη σφαλῆς καταβύβης

ἐντεῦθεν, εἶτα χολὸς ὢν Εὐριπίδην

λόγους παράσχης καὶ τραγωδία γένη.

quibus versibus Bellerophontes ridetur. <sup>14)</sup> de Oeneo v. Valckenar. Diatr. c. XIX. p. 204. <sup>15)</sup> de Phoenice v. Valck. l. c. c. XXIV. p. 271. <sup>16)</sup> de Philocteta c. XI. p. 119. <sup>17)</sup> Bellerophontis fragmenta ab eodem Valckenario tractantur l. c. <sup>18)</sup> Telephi fragmenta v. l. c. c. XX. p. 217. Nullius autem fabulae frequentius meminit Aristophanes, quippe quae ipsi Euripidi in deliciis esset, ut Acharn. 440. 446. 555. Ran. 853. Equ. 813. 1240. Nub. 921. <sup>19)</sup> Inonis fragmenta v. l. c. c. XVII. p. 179.

*ἀπολεῖς μὲν ἰδοῦ σοὶ φροῦδά μοι τὰ δράματα.*

Magis adhuc praeposterum est prudentiae civilis, perquam mutabilis illius et secundum auditorum libidinem conformatae et sapientiae τῶν μετεώρων ostendandae studium, quod tamen et nunc suos amatores habet et olim habuit. <sup>20)</sup>

At vero, ut in πάθεισιν parum decora consecratus est poeta τραγικώτατος, ita in moribus personarum describendis aetatem refert a prisca generositate deficientem et varia labe aspersam. Reges finguntur aut parum virili animo, ut Admetus, aut nulla virtute conspicui, imo in ipsa imbecillitate temerarii et iniusti. Tales sunt Menelaus in Oreste, Iaso in Medea, Theseus in Hippolyto, Theoclymenus in Helena, Pentheus in Bacchis, Lycus in Hercule furente: diversi quidem, similes tamen. In Supplicibus vero Theseus non rex est, sed dux quidam populi suffragiis creatus, nec ullius rei perficiendae potens, nisi ante consulta concione <sup>21)</sup>; ita ut legum veterum et institutorum ipsa vestigia perisse videantur. Plerique autem rerum publicarum praefecti homines callidos et in dicendo acriter versatos repraesentant, quibus ius videatur nullum, nisi fortioris, nec ulla faciendi norma praeter emolumentum. Haud inépte igitur Aristophanes agit in Ran. 974 = 964, quo loco Euripides

*γνώσει δὲ τοὺς τούτου τε κάμοῦ γ' ἐκατέρου μαθητῆς.*

*τουτοῖσι μὲν Φορμισίος Μεγαίνετος θ' ὁ Μάγνης, —*

*σαλπιγγολογχνπυράδαι, σαρκασμοπυνοκάμπται·*

*οὐ μὸς δὲ Κλειτοφῶν τε καὶ Θηραμένης ὁ κομψός. <sup>22)</sup>*

Ridicule enim Phormisium et Megaenetum, homines incultiores et ab artibus abhorrentes visos, Aeschyli discipulos dicit esse, Clitophontem vero et Theramenem, versutos et consiliorum fallacia cognitos, quorum Theramenis inprimis celebratum nomen est, ipsius praecepta secutos. In mulieribus autem ab Euripide in scenam productis id praecipue vituperabant Veteres, quod earum libidines variorum malorum originem praebarent, et in universum offendebantur eo, quod amorum saepe parum honesto-

<sup>20)</sup> de Euripide philosopho v. Valckenar. I. c. c. IV. V. VI. p. 27 — 61.

<sup>21)</sup> Refertae sunt Euripidis fabulae declamationibus de republica, nihil pleraeque sani continententes, sed totae fere ad ingenium illius aetatis auditorum immoderata δημοκρατία gaudentium comparata. Haud igitur immerito mihi quidem videtur Marklandus dicere ad Suppl. 238. eiusmodi locos communes Euripidem domi habuisse elaboratos, uti Cicero librorum philosophicorum praefationes, quos hic illic tanquam pannos late splendentes assueret.

<sup>22)</sup> v. schol. cf. Eccles. 97. de Phormisio. Megaeneti cognomen Μάγνης a Dindorfio expulsum magis placet quam Μάγνης.

rum mentionem non solum intexuisset fabulis, sed totas etiam inde duxisset et composuisset. Tales fuere Alope, Auge, Stheneboea, Melanippa, Cressae, Aeolus, Hippolytus: quarum quae sola nunc exstat, Hippolytus, quamquam in honestioribus censenda est, tamen veteris artis amatoribus haud sane probari potuit. Studiose maledicere feminis ob ipsa fabularum argumenta dictus Euripides, ut in Theomophoriazusis 546:

*ἐπίτηδες εὐρίσκων λόγους, ὅπου γυνὴ ποτηρὰ  
ἐγένετο, Μελανίππας ποιῶν, Φαίδρας τε, Πηνελόπην δὲ  
οὐλώποιο' ἐποίησεν, ὅτι γυνὴ σώφρων ἔδοξεν εἶναι.*

Et de se Aeschylus in Ranis 1054 (= 1043)

*ἀλλ' οὐ μὲ Δι' οὐ Φαίδρας ἐποίησαν πόρνας οὐδὲ Σθeneβοίας,  
οὐδ' οἷδ' οὐδεὶς ἦντιν' ἐρωσιῶν πάποιο' ἐποίησα γυναῖκα. 23)*

Inde etiam illud ortum, quod Euripides peculiari odio mulieres insectari visus est 24), cuius rei causa ab ipsius conditione domestica repetenda est. Atque ita Bacchus apud Aristophanem Ranis 1058 (1047):

*νῆ τὸν Δία, τοῦτό γέ τοι δῆ'*

*ἄ γὰρ ἐς τὰς ἄλλοτριὰς ἐποίηεις, αὐτὸς τοῦτοισιν ἐπλήγης.*

Sed non modo turpiter amantes et adulteras feminas in scenam produxit, sed longe flagitiosiora: quippe partus in templis factos 25) et incestum 26), quo pertinet illud Aristophanis l. c. v. 1089 (1078).

23) De Aeschylō hoc non negatur. Sed exoriuntur, qui masculos amores et hunc et Sophoclem in scena protulisse dicant, ut Athenaeus XIII. p. 174. Schw. sive p. 601. Casaub. de quo loco quaedam habet Valck. Diatr. c. II. p. 15 sq.; illum quidem Achillis et Patrocli, hunc Niobidarum, quae παιδερμαστῶν tragoedia dicta est. Sed neque qui ab Athenaeo p. 181. versus proferuntur, quos non tangit Valck. l. c.

*σίβας δὲ μηρῶν ἀγνόν οὐκ ἐπηδέσω,*

*ᾧ δυσχάριστε τῶν πυκνῶν Φιλημάτων*

ad Myrmidonas Aeschylī referendos esse, neque tragoediam fuisse Myrmidonas constat; quare in tragoedia quae inclusa essent amicitiae testimonia ab aliis ad seculi sui pravitatem detorta putaverim, masculi autem amoris in dramate aliquo satyrico mentionem factam. 24) De odio mulierum Euripidi proprio cf. Valck. l. c. c. XXIV. p. 281. — Athenaeus XIII. p. 12. Schw. ex Hieronymi ἱστορικοῖς ἀπομνημονεύμασιν refert, miranti cuidam quod mulieres tam impense odisset Euripides, Sophoclem respondisse, ἐν γε ταῖς τραγωδίαις, ἐπεὶ ἐν τῇ κλίῃ Φιλογύνης. 25) In Auge, v. schol. Valck. l. c. c. XVI. p. 196. sqq. 26) Ad incestos amores filiorum Aeoli refer, v. schol. Valck. l. c. c. XIV. p. 151. sqq.

ποιῶν δ' οὐκ αἰτιός ἐστι κακῶν;  
οὐ προαγωγὸς κατέδειξ' οὗτος,  
καὶ τιτιούσας ἐν τοῖς ἰεροῖς,  
καὶ μιγνυμένας τοῖσιν ἀδελφοῖς,  
καὶ φασκούσας οὐ ζῆν τὸ ζῆν; <sup>27)</sup>

Quibus rebus plebem delectari potuisse, mirum non est: esset, si elegantioris etiam iudicii homines in eadem fuisse sententia videremus, quod secus est.

In effringendis personis et moribus varie delinquentem Euripidem multorum reprehensiones meruisse vidimus. Sed magis idem, si recte rem consideramus, in deligendis personis et ad dramatis dispositionem accommodandis peccavit. Nam non putabat se huic negotio posse sufficere, nisi praeter deos et heroas etiam ultimae sortis homines qualescunque actioni ordinandae immisceret. Primus enim Euripides hominibus nullo loco et numero, imo servis et famulis magnam rei gerendae partem tribuit, hos imprimis consiliorum conscios et adiutores principibus addendo. Fatetur hoc Euripides apud Aristophanem Ranis 958 (948):

ἐπει' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρήκ' ἂν ἀργῶν,  
ἀλλ' ἔλεγεν ἢ γυνή τέ μοι καὶ δοῦλος οὐδὲν ἦτιον,  
καὶ δεσπότης καὶ παρθένος καὶ γράυς ἂν.

Cui cum respondisset cum severioribus artis existimatoribus Aeschylus

εἶτα δῆτα

οὐκ ἀποθανεῖν σε τοῦτ' ἐχρήν τολμῶντα;

audacter ipse pronuntiat:

ἢ ἀ τὸν Ἀπόλλω,

δημοκρατικὸν γὰρ ἂν' ἔδραον.

Qui locus peritiores illius aetatis iudices eandem, quam nos sententiam protulimus, habuisse demonstrat, totam Euripidis artem in aetatis suae populi que moribus sitam esse. Quod deinde Bacchus obiicit:

τοῦτο μὲν ἔασον ὦ τᾶν,

οὐ σοὶ γὰρ ἐστὶ περίπατος κάλλιστα περί γε τούτου,

multa illa loca significat, quibus ab Euripide mores populi improbantur, consiliorum sultitia notatur, ducum importunitas damnatur, ut non maximum democratiae amicum sese ille ostenderit. Scholiastarum varias explicationes nihil moror. Cum statim addat Euripides

---

<sup>27)</sup> v. schol. et Interpp.

ἔπειτα τουτουσὶ λαλεῖν ἐδίδαξα  
annuente cum indignatione Aeschylō

ἤγμ' ἀλάω\*

ὡς πρὶν διδάσαι γ' ὄφελος μέσος διαφραγῆναι,

hoc dicto ex more comoediae exaggerato Aristophanes modo hoc intelligi vult, Euripidem aetatis suae consuetudinem, sophismatum et artium oratoriarum amantis secutum esse. Addimus etiam v. 926 (915) homines veteris moris tenaces indicare videri, cum Euripide dicente, Aeschylum carmina chorica immensa longitudine composita tacentibus personis continuasse, Bacchus respondet:

ἔγὼ δ' ἔχαιρον τῇ σιωπῇ, καὶ με τοῦτ' ἔτερον  
οὐχ ἥττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες.

Nam senes imprimis Aeschylō et antiquioribus etiam, uti Phrynico aliisque delectari solitos, multis locis apud Aristophanem videre licet. <sup>24</sup>)

Sed redeamus illuc, unde egressi sumus. Istud qualescunque homines actioni immiscendi artificium saepe maxime ridiculas res gignit, ut mirum sit, si semper a spectatoribus probatum est. Talis est servi Phrygis de caede Helenae narratio (Orest. 1363 sqq.); nec minus recte observat vir praeclarus Augustus Matthiae ad Hippel. 120. vix risum retenturos fuisse spectatores chorum narrantem audientes, se lavantem ad fontem ab urbe remotiorem de morbo Phaedrae audivisse, quem nullo narrante ipse per se melius scire poterat. Tale etiam illud est, quod in Alcestide postquam Admetus (v. 566) varios cibos Herculi hospiti apponi iussisset (unde materia aucta Comici est heroem voracem et gulosum fingendi), deinde servus procedit, hospitem vino et epulis sese ingurgitasse et in ipso totius domus luctu prae gaudio barbaramente cantasse enarrans. Huic narrationi convenit, quod idem servus heroem cuiusvis virtutis prin-

<sup>24</sup>) Ex his sunt Nub. 1364. quo loco rixae inter Strepsiadem et filium, patris tandem verberatione terminatam non alia causa refertur, nisi quod filius Euripide laudibus elato antiquiores poetas et in his Aeschylum graviter reprehendisset. Deinde Vesp. 228., ubi dicuntur prodire choreutae senes

μινυρίζοντες μέλη

ἀρχαιομελησιδωνοφρυγικήρατα.

cf. ib. v. 269 ubi de Philocleone dicitur, sodalibus in iudicium ἡγείτ' ἄν ἄδων Φρυγίχου.

Adde v. 1487. quo Philocleo ebrius σχήματα dicitur saltare

τάρχαϊ' ἐκεῖν' οἷς Θέσπις ἠγωνίζετο.

Sed mirabiliter facit Graefenhan. ad Arist. Poet. p. 78. inde colligens, iam Thespidis aetate de arte tragica certamina instituta esse.

cipem, qualem ceteri ad unum omnes poetae finxerunt, eadem occasione oblata non dubitat admodum honorifico furis et praedonis nefarii nomine appellare. <sup>29)</sup> Rem enim scenicam Graecorum universam considerantes omnes quidem poetas auditoribus voluisse placere reperimus: sed Euripide priores non certe sordido illo artificio, ut perversis populi amoribus turpiter gratificarentur. Nam quanta maiestate Aeschylus, quam graviter in incredibili illa suavitate Sophocles, fabulae ipsi nihil neque dementes neque nocentes idem consilium assecuti sunt! <sup>30)</sup>

His ita expositis, neque in virtutibus neque in vitiis reliquis Euripidis multum morabimur. Sufficiat igitur paucis notare, actionem saepe vel duplicem in una fabula vel nullam esse, vel in rebus nugatoriis et quotidianis versari. Nam non satis dives fuit Euripidis ingenium, ut muneri tam difficili fabularum aetatis heroicae post tantos viros nova arte ornandarum satisfaceret. Praecipue autem, in quo uno maxime

---

<sup>29)</sup> Alcest. 764. sqq. v. 782. haec exstant:

καὶ νῦν ἐγὼ μὲν ἐν δόμοισιν ἐστῶ  
ξένον, πανούργον κλώπα καὶ ληστήν τινα.

<sup>30)</sup> Aeschyli Eumenides et Sophoclis Oedipum Colonensem significari neminem fugit. His comparentur Supplices et Heraclidae Euripidis, quae in melioribus fabulis habentur. Praeconis Coprei (Sterquilini) loquacitatem nihil moror, neque puto cum Marklando (ad Suppl. 399.) *μισοκήρυκα* videri Euripidem; nam praeco in Supplicibus Aeschyli non minus insolenter facit et loquitur. Sed quis probet ineptam illam Thesei *ῥῆσιν* de populari apud Athenienses imperio? Illud vero in primis bene inventum, quod Eurystheus Alcmenae interficiendus datus in extrema parte Heraclidarum Athenienses salutari quodam oraculo donat, quod naturam ficticiorum illorum Bacidis vaticiniorum refert, quibus vulgo demagogi superstitosam plebem deliniebant. Quomodo plebis favorem quaesiverit Euripides, haud male, etsi coloribus, ut mos erat comediae, aliquantum aggeratis exponit Aristophanes in Ranis 779:

ὅτε δὴ κατήλθ' Εὐριπίδης, ἐπεδείκνυτο  
τοῖς λωποδύταις καὶ τοῖς βυλαντητόμοις  
καὶ τοῖσι πατραλοίοισι καὶ ταχυρύχοις,  
ὅπερ ἔστ' ἐν Αἴδου πλήθος\* οἱ δ' ἀκρωμένοι  
τῶν ἀντίλογιῶν καὶ λυγισμῶν καὶ στραφῶν,  
ὑπερμαίνησαν καὶ νόμισαν σοφώτατον.

Deinde quaerenti Xanthiae, num etiam Aeschylo socii affuerint, Aeaecus respondet

ὀλίγον τὸ χρηστόν ἐστιν, ὡσπερ ἐνθάδε  
scilicet digito demonstrans theatrum spectatoribus plenum.

ars poetae cognoscitur, expositio fabulae laborat. Unde repertum est genus illud prologorum, quibus, quod essent et a poesi et a re scenica alieni, Euripidis obtreptatoribus tanta cavillandi materia data est. Non certe ita fecit Euripides, ut spectatores de fabularum argumentis a se mutatis edoceret; pauca enim et in multis fabulis adeo nihil mutatum reperitur, ut in Oreste, Hecuba, Medea, Hippolyto, Hercule furente, Electra, Troadibus; et quid prohibebat, quominus, si qua forte mutata erant, primis scenis intexta proponerentur? Imo adamavit hoc prologorum genus poeta, quod sic facillime et sine ulla arte argumenta exponerentur. Ad hanc sententiam egregie facit locus Antiphanis apud Athenaeum lib VI, p. 356 Schweigh.; omnibus nota fuisse pleraque tragoediarum argumenta ostendens.

Μακάριόν ἐστιν ἡ τραγωδία  
 ποίημα κατὰ πάντ'· εἴ γε πρῶτον οὐ λόγοι  
 ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσὶν ἐγνωρισμένοι,  
 πρὶν καὶ τιν' εἰπεῖν· ὡς ὑπομῆσαι μόνον  
 δεῖ τον ποιητήν. Οἰδίπου γὰρ ἂν μόνον  
 φῶ, τἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατήρ Λαίος,  
 μήτηρ Ἰοκάστη, θυγάτηρες παῖδες τινες,  
 τί πείσεθ' οὐτός, τί πεποίηκεν· ἂν πάλιν  
 εἴπῃ τις Ἀλκίμεωνα, καὶ τὰ παιδία  
 πάντ' ἐδῆς εἴρηχ', ὅτι μανεῖς ἀπέκτονε  
 τὴν μητέρα, ἄγανακτῶν δ' Ἀδραστος ἐδῆως  
 ἤξει, πάλιν τ' ἄπεισι.

Facete hunc morem Aristophanes risit, tum in Acharnensibus v. 47. et in Ecclesiazarum prologo, tum praecipue in Ranis. V. 1213. Aeschylus dicit:

ποιεῖς γὰρ οὕτως, ὅσπ' ἐναρμόντιεν ἅπαν,  
 καὶ κωδάριον, καὶ ληλύθιον καὶ θυλάκιον  
 ἐν τοῖς λαμβείοισι, δεῖξω δ' αὐτίκα.

Quem deinde iocum in pluribus fabularum exordiis facit, specie quidem ad versuum numeros spectat. Illud enim ληλύθιον ἀπόλεσεν ad omnem versum addi potest, si quidem sensus patitur, qui usitatissimam caesuram πενθημιμερίδα habet. Et sic fecit Aristophanes.

Ἀγνυτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,  
 ἔδν παισὶ πεντήκοντα ναντίλω πλάτη  
 Ἄργος κατασχὼν — ληλύθιον ἀπόλεσεν.

vel

Σιδώνιον ποί' ἄστυ Κάδμος ἐκλιπὼν  
'Αγήνορος παῖς — ληκύθειον ἀπώλεσεν.

Sed quid prohibet, quominus etiam Sophoclis versus ληκύθειοι exquirantur, velut hic:

᾽Ω κοινὸν ἀδελφὸν Ἰσμύνης κέρα,  
ἄρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς — ληκύθειον ἀπώλεσεν.

Sed comicus hoc significat per imaginem, prologos illos omnium fabularum plane eosdem esse, nec ulla ferme re nisi nominibus mutatis cuius fabulae Euripideae non minus commode posse praefigi, quam verba illa iocularia singulis versibus iambicis addi. Et sic Valckenarium quoque iudicasse video, Diatr. c. IX. p. 96., etsi sententia non satis clare exposita.

Deinde verbo tetigisse satis est, exitum fabularum Euripidis duplici plerumque vitio laborare; altero, praelongis narrationibus, per se splendidis et epicum colorem referentibus, sed scenae parum aptis; altero, deis ex machina nodum solventibus, quos saepe praeter necessitatem fit et vitiosa de causa. Postremo carmina tum chorica tum agentium vel ad rem non pertinere (unde orta otiosorum quaestio, num chorus tragoediae Graecae videatur necessarius fuisse) vel praeter tumidorum verborum ampullas maxime vulgaribus sententiis circumdatas nihil fere pleraque continere constat. <sup>31)</sup>

Sed haec hactenus. Euripidem his artibus uti coactum fuisse non concesserim Schlossero <sup>32)</sup>. Nam et ipse, quamvis summopere annis, neque omnibus, neque semper, neque elegantissimo cuique placuit: et Sophocles, qui nonagenarius ferme eodem quo Euripides tempore decessit, licet contentis illis artibus, tum recte iudicantium tum populi favorem dudum partam servavit. Sed illud facile intelligitur, quomodo factum sit, ut tot imitatores reperiret Euripides. Quippe cum, vetere tragoediae via exhausta, novam quandam magno exemplo commendatam inire liceret, secuti sunt aequales aetate minores; ita quidem, ut, cum et ingenio impares essent et tem-

---

